ſtræ Clementisſimæ, ſalvis & in extremam ſenectutem incoluminibus, ſuperſtitem concedat, ſed exemplo Paterno Avitoque ac cæterorum Majorum, præſertim hôc ipsô Menſe geniti Brandenburgenſis Marchicæ Lineæ Satoris, atque Electoris auguſti D. JOHANNIS, bello ac pace florere, turbidis Germaniæ Europæque rebus quàm optimè conſulere, tot Provinciarum ac ſpeciatim hujus Academiæ ſtatum proſperum ac tranquillum videre & promovere, hinc longinquo ſemperq; illibato gaudio frui, & Natalem hunc multò pluribus annorum decuriis ad ſeram canitiem reverſurum, integris viribus inque plenâ felicitate celebrare jubeat: nobis autem ſub his Principibus, Religionis, honeſtatis, juſtitiæ, omniumque bonarum artium & ſcientiarum culturam, declinatis aut ſuperatis obſtaculis, vigentem atque abundantem indulgeat. Quod ut fiat, non hodiè ſolùm ſed ſecuturô quovis tempore cavenda nobis ſunt omnia, quæ DEO diſplicent, quæ Legibus ac ſtatui noſtro repugnant; id ex adverſo conandum, ut ad Dei gloriam ſecundum Serenissimi Electoris mandata, cum ejusdē & Sereniſſimæ CONJUGIS, ut & RECTORIS Noſtri MAGNIFICENTISSIMI, ac totius celſiſſimæ DOMUS BRANDENBURGICÆ debitâ veneratione, officium ſuum quisque faciat. Sic ſociatis animis ad communia commoda tendamus ac pertingamus. Ita in Domino gaudeamus! Ita DEUS nobis faveat omnibus! Sed prolixius omnium vota ſolenni Oratione ipſo Natali die *craſtino horâ antemeridianâ decimâ* exponet Generoſiſſimus Dominus CAROLUS ERNESTUS de GRUMKAU, Eques Pomeranus, cui, cùm conſtitutum ſit per gentis ſuæ exempla decurrendo ad immortale decus contendere, præclaræ & præſtantisſimæ indolis ſuæ vires non alio in campo rectius ſe periclitari poſſe arbitratus eſt, quàm laudes Summi PRINCIPIS & Brandenburgicæ Gentis canendo ac pro ejus incolumitate nuncupando vota religioſiſſima. Præterquam enim quod Sereniſſimo atque Potentiſſimo ELECTORI, infinitis nominibus, ob ingentia in ſe & familiam ſuam profecta beneficia ſe obſtrictum eſſe intelligit, tenerrimus etiam quo in Juventutis Principem rapitur affectus ad hoc eum impellit, haud obſcuro omine, non tantùm doctrina & prudentia, ſed & fide in Brandenburgicam gentem, cum Illuſtri Parente, eundem dubiâ aliquando concertaturum palmâ. Ad hanc igitur benevolè audiendam, omnium ordinum ac dignitatum Eruditos, quos tum Academia, tum noſtra civitas tenet, quâ par erga quemque eſt, humanitate invitamus, cultum, officia & ſtudia noſtra ſingulis omnibusque promta ac parata pollicentes. P. P. d. III. Auguſti

A. C. cIↃ IↃC XCIV.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366142313/8
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG